

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

A. 1557.

Wernhero, cui pagellas adjunctas exhibebis. Bene vale. Rostochii 22.

Octobris.

De Historia Colloqui, quantum amico scire licet, optarim mihi à te significari.

David Chytræus.

Inscriptio.

Clarissimo Viro, eruditione & virtute præstanti, Doctori Johanni Marbachio, Domino suo & Patrono colendo.

Worms in den weissen Schwan.

LII.

S. D. Reverende Vir & Carissime Frater.

Post iter tuum, profus nihil egerunt nobiscum, ἔτι ἰ βασιονίς, ἔτι ἰ κινε-
201504. Nostri Collegæ etiam non sæpe convenerunt, & quia me calculus excruciat, & quia Brentius expatiatus fuit Moguntiam. Ante biduum hac iter fecit proficiscens in Belgicum Tridentinus, in cujus comitatu fuerunt & Itali, qui me allocuti sunt, inter quos Genuensis quidam mihi librum exhibuit, scriptum contra Philosophiam. Cum hoc rixatus sum, abjicit enim universam & contendit, ut Arcesilas, nihil esse certi in Physicis & Ethicis. Talis est, proh dolor! hujus ætatis petulantia & impudentia, ut non solum Ecclesiæ doctrinam, sed etiam artium demonstrationes multi furenter lace-
rent, quæ sunt & dona DEI, & testimonia de DEI præsentia in nobis. Quare nos juventutem majore cura ad rectas sententias adfuefaciamus. Bene vale, die 8. Novembris.

Salutem Domino Sturmio & vobis omnibus opto.

Philippus.

LIII.

S. D. Clarissime Domine Doctore, Patrone colende.

Spero, hanc tristem Tragœdiam, quæ in hac Rostochiensis Ecclesia, Diaboli arte inflammata est, occasione fore rectius constituendi studium doctrinæ Theologicæ, & ornandi Academiam inclytæ urbis Heydelbergæ. Nam Clarissimi Domini Doctoris Tilemanni voluntatem ex crebris literis atque sermonibus ita perspexi, ut non dubitem, eum, si ab Illustrissimo Principe Palatino, & Academia legitimè vocabitur, assignato stipendio, quale apud nos habet, 260. fl. & 24. modiorum frumenti, futuro vere una cum familiâ
K isthuc

isthuc profecturum esse. Reverenter itaque à te peto, ut tuam auctoritatem eo conferas, ut Tilemannus in Academiam Heidelbergensem legitime per hunc Tabellarium vocetur. De injusta ipsius ejectione & de meo in hanc Academiam reditu, ante mensem ad te literas dedi tabellario Wormatiam eunti. Eas te accepisse spero.

Affinem meum, Brandanum, reverenter tibi commendo, teq; oro, ut si quo officii genere rationibus ipsius poteris consulere, meâ etiam causâ amantius ipsum complectare.

De Colloquio Wormatiensi, deq; Ecclesiarum & Scholæ vestræ statu, amantius oro, ut ea, quæ amico scire licet, mihi impertias. Deum oro, ut te servet, & cursum vitæ nostræ regat, ut sit Deo gratus & Ecclesiæ salutaris. Bene & feliciter vale. Rostochii, 14. Novemb. Anno 1557.

David Chytræus.

LIV.

S. D. Reverende Vir & Charissime Frater.

Heri publicè nostris lectæ sunt regiæ literæ, sanè moderatè scriptæ, quæ jubent pertexi inchoatam collationem doctrinæ. Quid facturi sint Antagonistæ nostri, nondum scimus. Tu tamen de reditu tuo statues, quod Micaelus noster suadebit. Nondum in ea sum opinione, ut putem, antagonistas ἀπαρετι γιωσιμχηδντας, redituros esse in certamen, præsertim cum & Letomus adhuc absit, qui λογδαϊδαλσ est sui agminis, quem existimo in promiis magis disertum fuisse, quam erit in dogmatibus, διδάξαντ ἢ αἰδον γαίται, inquit Pindarus. Versiculos heri de Thuringica Elisabetha, quæ fuit exemplum piæ matronæ, factos ad Pistorium tibi mitto. Existimo enim, te quoq; cogitatione virtutis in meliore seculo delectari. Salutem opto Domino Sturmio & vobis omnibus. Bene vale. Die quò celebratur memoria Thuringicæ Elisabethæ.

Philippus



Reverendo D. Pistorio,

Gratè munera summa Conditoris
Narremus, sibi colligit quod agmen,
In quo fulgeat ipse, sempiternum,
Plenum justitiæque gaudioque.

Hujus agminis est Elisabetha
Consort, que tenuit vetusta sceptrum
Ora Tyrigetum, fuitque mater
Stirpis inclita Principum tuorum

Qu